



HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI LIBER DUODECIMUS.

M. D. LXXIIII.



Belli renovandi suspensiones annus hujus sæculi septuagesimus quartus excepit, cum variis a Byzantio rumoribus perferretur, Selymum majori studio maritimis rebus incumbentem, ducentas ac quinquaginta triremes, maonas triginta primo vere emissurum; quæ assuetis Aegæi custodiis, diversique generis navigiis auctæ, trecentorum numerum expleant. Jamque constabat, Eubœæ, aliisque in locis ingentem nautici panis copiam ad classem alendam comparari; complura navigia in Aegæum mitti, ut, quæ ad tantas vires sustentandas necessaria erant, curarent. Quasnam vero in regiones impetum facturus Selymus esset, adhuc incertum erat. In Cretam iturum alii suspicabantur, quæ ob

1574

*Belli tur-
cici redin-
tegrandi
suspicionem.*